

Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

59. Si lecto ob morbum affixus incommodè cubat, solatur se, quod
commodius in culcitra ipse, quàm Christus in Cruce jaceat, Joannes
VVintershofen, Belga.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](#)

100 SOCIETAS IESV

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

Si lecto ob morbum affixus incommode
jacet, solatur se, quod commodius
in culcitra ipse, quam Christus
in Cruce jaceat.

59.
JOANNES WINTERSHOVEN Belga.
ICUM Sacerdos juniores in tertia, ut
vocamus, Probatione, institueret, cor-
reptusque morbo ad cælum suspiraret,
offerentibus precum suarum suppetias
ad recuperandam salutem; itane, in-
quiebat, cursum meum in cælum sata-
gitis impedire? Quin promovete ma-
gis. Sciscitantibus, ecquid incommode
jaceret? Enimvero, commodius ajebat,
quam IESVS MEVS IN CRUCE.

Aquâ rosaceâ frontem mulcentibus,
ah, dicebat, quam delicatum sub spinoso
capite, CRVCIFIXI, membrum. Tum
se visentes Sacerdotes rogabat, ut se
aquâ lustrali, cui vis est magna ab aquâ
lateris CRVCIFIXI, aspergerent, ac tan-
dem placide in Domino quievit, Me-
chliniæ. Anno M. DC. XXV.

Litt. Flandriæ belg. Eleg. Vt. B. S.